

D i s s e r t a t i o  
i n a u g u r a l i s  
h i s t o r i c o m e d i c a  
s i s t e n s  
M e n t e m L e g u m M o s a i c a r u m  
c i r c a s a n i t a t e m p u b l i c a m



*Dr. invent.  
3851.*

Quam annuentibus  
Illustrissimo, ac Magnifico Domino  
Praeside, et Directore,  
Perillustri, ac Spectabili Domino Decano,  
ac Clarissimis D. D. Professoribus  
p r o  
summis in arte medica honoribus  
rite acquirendis in Antiquissima, ac Celeberrima  
Universitate Vindobonensi  
publicae disquisitioni submittit  
*J o s e p h u s S e r e d i*  
*Austriacus Viennensis.*

In Theses adnexas  
disputabitur  
in Universitatis aedibus die Mensis Feb ruarii  
1 8 1 6.



XLIV Ex 514  
Bibliotheca Capituli  
Ritus graeco-catholici  
Premisliensis.

Reverendissimo, Clarissimo,

ac Doctissimo

Domino Domino

Stephano Vrana de Hlozsa

Abbati S. Georgii de Colocza,

Ecclesiae Metr. Strigoniensis Canonico,


S. S. Theologiae Doctori,

et

Collegii Generalis

Pazmaniani Viennensis

Rectori.



Reverendissime Domine!

**C**ogitanti, cui parvulum litterarium laborem, hasce tenues Pieridum primitias consecrem? opportune Clarissimo Nomini TUO devoveri gratitudo mea, ac sincera TUI observantia mihi persvasit. Nec abs re: singularem enim vero favorum, et beneficiorum gratissima est, eritque recordatio, quae e Collegio Pazmaniano, cujus TU Praepositi munere fungeris, in desideratissimum Genitorem meum cumulatissime dimanarunt, dum Is longa annorum serie egregiorum Praecessorum TUORUM fiducia, atque a-

micitia potitus saluberrima, quam exercuit, Arte Medica aegritudinis apud juniorem Clerum molestias impigre, una etiam dexterrime relevabat. Quid vero humanitatis TUAE et Benevolentiae officia, quibus me complecti dignaris? quid praeclara animi TUI decora, quibus ornaris, a me deposcunt? pro dignitate edicere modestia TUA prohibet.—Notissima profecto sunt communi utilitati, publico commodo consecrata TUA bonarum artium studia sive cum olim Doctor Dogmata Divina prisca fide, et pie-



tate explanasti, sive cum juventutem Ecclesiasticam in maximam Sanctissimae Religionis, Patriaeque spem nunc moderaris. Patere itaque, vir Reverendissime, Dissertationem de legibus. Mosaicis circa Sanitatem publicam conscriptam, licet dignitati, et Scientiae, quibus polles, imparem, TIBI dedicari, et pagellas exiles, ceu totidem devotionis, et observantiae meae testes benevolo animo suscipe. Vive, vale, et fave TUI

Observantissimo  
*Josepho Seredi.*

Salus populi suprema Medico Lex est.



---

## Prooemium.

---

**H**ebraeos, uti reliquarum Scientiarum, ita et salutiferae Artis notitiam ex Aegyptiis hausisse extra omne dubium est: historia enim docet progeniem Jacobi ultra quadringentos annos sub Pharaonum jugo gemuisse, donec Moses primus, ac princeps Legislator illam inde liberavit. Studiosius autem cunctas Scientias ab Hebraeis excultas, et auctas fuisse praeter alia ex Legibus eorum ritualibus, quas Mosaici libri complectuntur, luculenter apparet. a) Multa enim hi continent, eaque haud vulgaria, tum ad historiam naturalem animalium, vg. Camelorum, tum ad physiologiam, et universam rem medicam spectantia, cujus generis sunt, quae circa menses mulierum, puerperium, circa lepram, aliosque morbos

---

a) Lindinger de Ebraeorum veterum Arte medica, de Daemone, et Daemoniacis. Servest. 1774. Blumenbach Introd. in hist. med. Goett. 1785.

praecipiuntur. Imo et Medicinae forensis prima rudimenta insunt capitibus, quae de virginitatis notis, incestu, lustratione, homicidio etc. agunt. Primitias quidem Scientiarum suarum ex Scholis Aegyptiorum hausit Moses tamquam adoptatus regiae prosapiae filius, brevi autem praeceptores suos non solum in Artibus, sed etiam in historia naturali, et re-medica superavit; unde merito pro primo Medicinae Hebraeorum fundatore agnoscendus.

Pauca solum librorum Mosaicorum capita publicam praeprimis Sanitatem respicientia selegi, ac in angustum Dissertationis academicæ spatium contraxi, eo quidem scopo, ut innotescat insignis legum Mosaicarum valor nostris adhuc temporibus facile adaptandarum. Alius Scientiæ nostræ cultor reliqua capita solertius rimetur.

Fontes, ex quibus in hac elaboratione materiam hausit, suppeditarunt Warbourtnoth b) Michaelis c), et Reverendissimus Doctor Jahn d). Vir profundus, linguarum, et rerum orientalium scientia clarissimus.

---

b) The divin. legislation of. Moses. London. 1745.

c) Mesaisches Recht, 6. Theile Götting. 1776.

d) Hebräische Archäologie. Wien, 1793.

---

---

Leges Mosaicae circa Sanitatem publicam.  
Matrimonium.

**P**rimaeva institutione ad propagandum genus humanum per individuum consortium viri, et mulieris damnata erat fornicatio, libido vaga, et communis uxorum. Hinc pii Patriarchae illam Institutionem Religionis observabant. Nihilominus tamen jam ante aetatem Mosis tanta erat morum corruptio, ut a pluribus gentibus non modo fornicatio, sed etiam paederastria in cultum Deorum consecrata fuisset. Huius malo, cui demum ipsi quoque Philosophi Graeci, et Romani consenserunt, ut occurreret Moses, statuit:

1. Ut inter Israelitas nec Cynaedus, nec meretrix toleretur, et filia Sacerdotis, si corpus suum prostituere, ultimo supplicio afficiatur, et comburatur, quia haec magna coram Deo flagitia sunt. (Levit. 19. 29.)

2. Cum quidam abjecti animi Sacerdotes,

avaritia inflammati facile allici possent, ut haec scelera exemplo aliarum gentium in cultum Deorum verterent, interdixit, ne merces meretricum, et Cynaedorum ad Sanctuarium suscipiatur.

3. Ut originem mali praecaveret, decrevit, ut Seductor seductam teneretur uxorem emere, aut patri, qui filiam seductam nollet seductori vendere, consuetae sponsae pretium, (ut videtur 30 Siclos) si vero violentia quadam usus esset, 50 Siclos solveret. Id videtur ex antiqua consuetudine descendisse.

4. Denique ut et pudicitiam alterius sexus tamquam singularem castitatis muliebris foveret, et corroboraret. legem tulit, ut sponsa, quae se Virginem mentita consummato matrimonio talis deprehensa non fuisset, ante januam domus paternae lapidaretur.

Prima semper Legislatorum cura in eo versabatur, ut sana essent, et servarentur incolarum corpora, neque enim ad agrorum culturam, venationis, aut belli labores, et taedia ferenda, neque ad civilia munera peragenda fractum, et extenuatum libidine hominum genus quidquam valet, atque omnis pulchri, verique sensus exstinguitur, nullumque ergegium facinus, audaxque ausus in humani

generis felicitatem exurgit. Non numerosa, sed sana proles sit.

### Polygynaecia.

Eadem institutione primaeva Polygynaecia quoque exclusa fuit. Lamech primus erat, qui eam transgressus est, (Genes. 4. 19.) et paulo post multos imitatores nactus fuit, nec post diluvium exemplum Noachi, et filiorum ejus quidpiam profecit. Inter ipsos Hebraeos aetate Mosis Polygynaecia permultum inveterata erat, uti ex numero primigenitorum 22273 inter 603,550 viros, qui ultra 20 annos nati erant, colligere licet. (Num. 3. 43.) Ut hoc malum progressu saltem temporis minueretur, Moses.

1. Adtulit (Gen. 1. 27 — 28) primaevam Matrimonii institutionem, primam ejus transgressionem (Gen. 4. 10.) atque omni occasione incommoda enarravit, quae marito e pluralitate uxorum enascuntur, (Gen. 16. 4 — 10. 30. 1 — 3. 13.) et testibus viris gravibus, qui Orientem inviserunt, sane non sunt exigua.

2. Interdixit (Deuter. 17. 17.) regibus, quos Hebraei aliquando electuri essent, magnum uxorum numerum, quem quidem non de-

finivit, sed ex consuetudine pro noto sumpsit, nempe non ultra quatuor, uti Rabbini exemplo Jacobi (Gen. 31. 50) interpretantur.

3. Virum obligavit, ut uxori cuilibet tempore fixo debitum reddat, fortasse, ut fert modernum jus orientale, semel per hebdomadam. Excipit solum tempus menstruorum, quo redditionem debiti sub mortis supplicio prohibuit, quia ex hoc concubitu proles leprosa nasci putabantur, vel quia alias in illis regionibus reapse noxius est.

4. Denique immunditiam per concubitum contractam ad integrum diem extendit, quo incommodo vir impediatur, ne facile ultra quatuor uxores ducere posset. Hae dispositiones non erant inefficaces, nam Polygynaecia progressu temporis non solum non aucta, sed plurimum imminuta fuit.

Quamvis autem summo honore antiquitus Matrimonium haberetur, singularis tamen erat Orientalium gentium in Polygynaeciam propensio, quam Moses violentis legibus non potuit reprimere. Hinc viris licebat pellices conducere. Polygynaeciam et hodiernis adhuc temporibus apud gentes orientales, praecipue Turcas coli videmus.



### Puerperium.

In puerperio solae primùm Matres filiabus auxilio erant, cum alioquin puerperia in Oriente non magna difficultate laborent. Casibus difficilioribus, qui rariores erant, demum Matres peritiores, et perspicaciores ad alias quoque puerperas vocabantur, unde ortae sunt obstetrices (Gen. 35. 17. 38. 28.)

Natus infans praeciso umbilico balneabatur, et fasciis involvebatur.

Puerpera post partum filii 7 dies erat immunda, et 33 diebus sequentibus domi se continebat, post partum filiae vero 14. dies erat immunda, et 66 diebus sequentibus domi retinebatur, quibus elapsis in sacrum tabernaculum, vel in templum veniebat, et agnum anniculum, aut si pauper erat, duos turtures, vel duos columbae pullos in sacrificium purificationis offerebat. Matres olim suas proles ipsae lactabant et quidem per 30. vel 36 menses, et delactatio erat dies festus. (Gen. 21—8) Nutrices, quae praebebant lac infantibus, non habebantur, nisi Mater obiisset, aut aliunde lactando impar esset. Recentiori vero aevo matronae saepius sibi infirmiores videbantur, et officium maternum in nutrices devolvebant (Reg. 11. 2.) Nutrices praecipuis familiae per-

sonis accensebantur, et in historia quoque memorantur. (Gen. 35. 8.)

Optandum certe, ut haec mulierum in puerperio mora, quae ad Christianam etiam Religionem transiit, nunc autem fere desiit, renovaretur, in magnas certe matrum, et prolium etiam utilitates, graviditatis enim taedia, partus labores, instansque lactationis negotium ad recuperandas matris vires interstitium postulant, quo neglecto ad multos, gravesque morbos dispositio inducitur. Pauperiores feminae, si exantlatis mox partus laboribus ad consueta, duraque domestica officia redeunt, graviter non raro temeritatem luunt, nobiliores autem delectamentorum, et concubitus impatientia sanarum more vivere desiderant, et negato pusioni materno lacte primam educationis epocham damno saepe haud unquam resarciendo pessime pervertunt.

### Circumcisio.

Antiquissimus orientalium gentium mos circumcisio fuit. Aegyptios, praesertim Sacerdotes eorum circumcisionem more receptam habuisse Herodotus auctor est, atque nostris adhuc temporibus in Aegypto in neonatis pue-

ris apud plebem peragi solet. Apud Hebraeos autem circumcisio lege praescribatur. Octavo post partum die filii circumcidebantur, et in carne sua recipiebant sigillum promissionum, quae Abrahamo factae fuerant, atque vicissim obligabantur ad veram Religionem conservandam, et demum quoque ad observandam legem posteris Abrahami latam. Hic erat finis circumcisionis praecipuus.

Hebraei antiqui circumcisionem sibi honori ducebant, aetate vero Maccabaeorum Hebraei permulti ad sacra Graecorum transeuntes, et in Gymnasiis nudi prodeuntes circumcisionem sibi dedecori esse reputabant. (1. Maccab. 1. 15. Cor. 7. 18.)

### Immunditiae.

Quum immundities uberrimus Morborum popularium fons esse soleat, Moses singulari studio Hebraeos ad munditiei curam attentiores reddidit. Immunditiae, quae non solum a sacris, sed etiam a consortio hominum arcebant, non apud solos Hebraeos a Mose edoctos, sed aevo etiam antiquiori, imo apud plebrasque gentes valebant, et erant adjuncta talia, quae vel contagiosa, vel de periculo

contagii suspecta, vel saltem abominabilia habebantur. Moses, quas invenit immunditias accuratius definivit, ut Hebraei per eas quoque ab aliis gentibus secernerentur, et a periculis seductionis ad idololatriam remotiores essent, addidit quoque ritus, quibus mundati societati restituerentur. Immundi neminem tangebant, quos vero attingebant, aequae immundos reddebant, et omnes sacro tabernaculo, et templo exclusi erant. Immundi vero erant:

1. Leprosi, qui extra urbes, et pagos habitabant, veste lugubri, et lacerata induti nudo capite incedere, et occurrentibus tecto ore acclamare tenebantur: immundus sum.

2. Gonorrhoea, sive benigna, sive maligna laborantes. Plurimum torsit haec lex interpretum ingenia, nescitur enim, qualis fuerit hujus profluvii indoles. an contagiosum malum fuerit, vel sola diuturnitate, et seminis vera jactura corpora extenuans. Ea saltem mens hujus legis fuisse videtur, ut aegri de periculo hujus morbi admoniti citius medicam opem implorarent.

3. Qui quacunquē ratione, etiam concubitu legitimo semen emisserant, erant immundi usque ad vesperam. Post seminis emissio-

nem lavatio praescripta erat. Hinc pollutio nocturna, et onaniae vitium homines immundos reddidit. Attentos itaque Moses parentes fecit, ut haec clandestina vitia citius detegant, antequam corpus labefactatum esset; ex manustuprationis enim vitio impotentia virilis maximum faecundi matrimonii impedimentum oritur.

4. Puerperae post partum filii 7, post partum filiae 14 diebus immundae erant, unde sequentibus 33, vel 66 diebus a sacro tabernaculo, vel templo, et sacrificio arcebantur. Neque hujus legis facilis est interpretatio, nisi forte dicas Hebraeos fluxum muliebrem sanguineum ex antiquo more suspectum habuisse.

5. Menstruantes, et etiam morbido fluxu sanguinis laborantes erant immundae, quamdiu fluxus perdurabat. In calidioribus mundi plagis concubitus fluentibus menstruis varias ob causas noxius esse potest; hinc in Italiae lupanaribus lege cautum est, ut conclave, quod menstruans puella inhabitat, aut signo foris notetur, aut omnino claudatur. (Michaelis Mosaisches Recht. 5. Th. S. 305.) Neque tamen haec lex strictissimo sensu intelligi debet, cum incipiente hoc statu, aut desinente

conceptus facillimi tradantur. Concubitus cum menstruante morte puniebatur.

6. Qui attigit cadaver hominis, aut animalis, ossa mortuorum vel sepulchrum, et qui erat in tentorio, cubili, aut domo morientis, vel mortui, 7 dies immundus erat. Haec lex morborum contagiosorum propagationem impediēbat, morborum praecipue pestilentialium, typhi contagiosi etc. Deinde haec lex Hebraeos impulit, ut mortuos citius sepelirent, quam in Aegypto facere solebant, atque hac lege cautum est, ne insalubris sit mortuorum corporum in habitationibus mora. Illorum etiā hominum demortuorum corpora, quae non proxime ad nos pertinent, sepeliri jussit, e. g. militum occisorum, corpora post ingentem cladem, hominum mortis supplicio affectorum, hinc corpora suspenso- rum ante solis occasum ex patibulo desumi, et sepeliri debebant, ne regionem noxiis exhalationibus inficiant. Sapiētiſſima haecce antiquitatis lex demum etiā nostris temporibus agnita, et in actum deducta est. Quamdiu inanes fuerunt medicorum de noxia mortuorum in templis sepultura querelae, ut tandem vivorum sanitas a mortuorum effluviis offensam non pateretur. Illustrissimus de



*Habermann, et Ernestus Platnerus* in egregiis de sepultura salubri dissertationibus luculentur demonstrarunt.

### Balnea.

Balnea orientalibus nullo non tempore erant acceptissima, calor enim sunt refrigeratio, atque pulveres corpori molestos abstergunt, hinc ab altero praesertim sexu adeo frequentantur, ut omni jure delectamentis accenseri possint; Antiquiores jam Aegyptii in Nilo se balneabant. Hebraeis balneum munditiei causa in nonnullis casibus lege praecceptum erat; hinc probabile est in Palestina paulo post publica balnea, qualia nunc in Oriente frequenter conspiciuntur, aedificata fuisse. Hodiernis adhuc temporibus feminae judaicae absoluto fluxu mentruo balneum adire tenentur, unde mundae reddantur.

### Cibi.

Cibi ab Hebraeis plerique ex regno vegetabili depromebantur, inter quos in deliciis etiam erant lentes, uti orientalibus adhucdum carae sunt, nec non placentae melle mixtae.

Carnes nonnisi praesente hospite, et in convivii apponebantur. Orientales hodieum rarius carnibus utuntur; longior tamen abstinentia ingentem carnis appetitum, et morbum quoque producit, qui arabice singulari nomine insignitur. Invalescente luxu potentioribus carnes factae sunt quotidianae. Aestimabantur prae caeteris carnes ferinae, et juvenes boves sagitati. Carnes ovium, et caprarum, et praesertim agnorum, ac capellarum in illis regionibus lautissimae sunt, quare agni, et capellae sacrificiis quoque sacratae erant. Aevo antiquissimo animal ab ipso patrefamilias, et si princeps esset, ex grege deferebatur, et mactabatur, et si preparatio esset matrisfamilias etiam principis. Inter partes animalis caeteras crus praeferebatur. Res coquinaria jam adeo prompta erat, ut et palatum fallere posset. Carnes animalis mactati mox omnes, quia in Climate calido non facile incorruptae conservabantur, ad convivium parabantur, qui mos nunc quoque, etsi ars carnes in aprico siccandi, et condiendi etiam, et conservandi nota sit, a nomadibus observatur. Carnes, quae coquebantur, in frusta minuta, seu bolas secabantur, et ex jusculo, quo Orien-

tales non vescebantur, adjectis oleribus embamma parabatur.

Prima carniū praeparatio erat assatio, quae primum casu innotuisse videtur, et demum deliciis deputabatur. Usus sasis antiquissimus est.

### Cibi interdicti.

Cibi Hebraeis interdicti alii erant immundi, qui vel noxii, vel saltem sordidi, et abominabiles erant, aut putabantur, quales nulli non genti sunt, alii autem consecrati erant, quibus ideo vesci nefas erat. Illis interdictis cautum erat, ne Hebraei cum gentilibus manducarent, aut epulas idololatricas frequentarent, et ita ad cultum Deorum seducerentur. His posterioribus autem reverentia erga ea, quae ad divinum cultum spectabant, inculcatur. Universim vocabulo *immunda* ea animalia intelligi solent, quorum carnes in victum adhiberi non solent. Ex consuetudine passim gentes quaedam a quorundam animalium carnibus abstinere, quod praecipue in Aegypto in morem abiisse constat. Moses vero id adhuc moliebatur, ut Hebraei a consortio cum vicinis populis, Aegyptiis praesertim, et

Phoenicibus detinerentur. Immunda in specie erant.

1. Quadrupedia, quae vel non ruminant, vel ungulas non habent divisas, vel plane fissas. Mirari oportet antiquissimum divisionis animalium in Classes fundamentum, quo nostro adhuc aevo historia animalis quadrupedum nititur. At in hac re non exacte ad animalium naturam, sed potius ad Hebraeorum opinionem vulgarem Moses respexisse videtur an hoc vel illud animal pro non ruminante, vel fisso pede incedente habuerint, v. g. de Camelo, et lepore. Hinc Cameli carne, quae Arabibus in deliciis erat, vesci Hebraeis prohibitum erat.

2. Serpentes, et Insecta reptilia omnia, quae non, ut locustae, praeter alas, et quatuor pedes simul habent duo longiora crura, quibus saliant.

3. Volucrum certae species, quarum nomina pleraque sunt obscura.

4. Pisces, qui vel pinnulis, vel squamis carent.

5. Omnis cibus, et potus in vase, et omne semen aqua humefactum, in quod cadaver insecti immundi delapsus erat; aquae vero in cysternis, puteis, et fontibus, atque semen

non madefactum hujusmodi casu non contaminabantur.

6. Omnis cibus, et potus in vase, quod intenterio, vel cubiculo morientis non erat alligato operculo contactum.

7. Omne, quod ab alio quocunque idolis, aut Diis consecratum fuit.

8. Haedus in lacte matris coctus, cujus legis ratio obscura est, an sit latens quaedam superstitio, vel inculcatio mansuetudinis etiam erga animalia, vel tacita laus olei, et reprobatio butyri.

Caro animalium quadrupedum, et avium spurcam ducentium vitam, uti v. g. sunt porci, et anates hodie adhuc prohibitaesunt Judaeis.

Cibi sacri, quibus vesci non licuit, erant.

1. Sanguis quadrupedum praesertim, et avium, sanguis enim in sacrificiis gentium, praecipue Phaenicium comedebatur; imo potabatur; hinc gravem Moses poenam in hujus legis transgressionem posuit.

2. Animal, quod a feris dilaceratum fuit, quia sanguis in corpore mansit.

In Palaestina multi lupi vagantur rabie infecti, hinc etiam vulpibus, et canibus idem Miasma facile poterit communicari.

3. Adeps tegens intestina, lobus major hepatis, renes, et adhaerens iis adeps; quum butyrum interdictum esset Hebraeis, ut oleum diligentius colerent, ob eandem rationem adipis quoque usus interdictus esse videtur. Usus vero adipis anserini vulgatissimus inter hodiernos Judaeos esse consuevit.

4. Cauda pinguis ovium, quae non raro ad 15 — 50 librarum pondus increvit. Haec etiam omnia Altari consecrata erant.

### Potus.

Potus Mahomedanis est aqua, divitibus vero dulcis quaedam potio *Scherbet* dicta, quae olim in sola Aegypto locum habuit, ubi quoque cerevisia usitata erat, forte aetate Mosis recentior. Reliqui Orientales vino utebantur non raro usque ad ebrietatem. Vina etsi illo Climate aliunde generosa nonnunquam tamen aromatibus, imprimis myrrha condiebantur, et interdum etiam simpliciter mixta; plerumque autem vinum mixtum est illud, quod aqua dilutum erat, et insciis ementibus adulteratum, alias tamen scientibus bibentibus adeo consuetum erat, ut Arabes, etsi nunc vini abstemii, diluti vini retinuerint nomen.



Erant quoque vina non modo ex dactylis, sed etiam ex diversis seminibus, et radicibus confecta, quae omnia nomine *Sicerae* veniunt. Sicera itaque adeo celebrata est omnis arte parata potio, quae inebriare potest. Haec quoque Sicera miscebatur aquae, ut potatores eo plus consumere possent.

Expositis modo, quae vitae rationem Israelitarum spectabant, et quae Moses in gratiam tuendae Sanitatis publicae decrevit, ad ipsos transgredior morbos.

### Morbi.

Prima mundi aetate homines simplicissima vitae ratione utentes perpaucis obnoxios fuisse morbis historia docet. Seriori autem aevo non modo novos invaluisse morbos, sed etiam epidemias emicuisse lues quibusdam plagis, et regionibus ita infensas, ut maximas inter miseres mortales ediderint strages, ex antiquis monumentis abunde colligere licet.

Inter omnes tamen mundi plagas Aegypto vix ulla fertilior fuit in procreandis atrocissimorum morborum cohortibus, quo praecipue calidissimum Clima, vicissitudines tempestatum repentinae, et inundationes Nili frequen-

tes, oriundaque inde mephitica effluvia, ac ipsa incolarum vitae ratio contribuisse videntur. Non mirum itaque Israeliticam gentem, quae prius Aegyptum, ac serius contiguas regiones, Arabiam, Syriam, Palaestinam inhabitavit, diversis, atque summe funestis obnoxiam fuisse malis, quorum nonnulla non solum hodiernis temporibus ibi adhuc endemia observantur, sed ad salubriores Europae provincias delata horrendas clades apud nos ediderunt. Quinam Morbi in Aegypto, et aliis ejusdem Climatis regionibus plerumque grassentur, paucis complexus est Prosper Alpinus 1) sunt nempe oculorum lippitudines, quas opthalmias vocant, phrenitides, articulorum dolores, herniae, renum, et vesicae calculi, phtyses, obstructions hepatis, lienisque, stomachi imbecillitates, febres tertianae, ardentes, hecticae, et pestilenciales, lepra etc. Morbi autem, quorum mentio in sacris obtinet paginis, a celeberrimo *Mead* 2) et Reverendissimo *Jahn* 3) sequentes enumerantur:

---

1) De Medicina Aegyptiorum Lib. I.

2) R. Mead, Opera omnia Tom. II. De Medicina sacra. Götting. 1749.

3) Archäologia Biblica.

*Morbis Philistaeorum, Morbus Jobi, Regis Sauli, Jorami, Ezechieae, Nabuchodenesoris, Senectus morbus, Lepra, Mola ventosa. Pestis, Paralysis, Sanguinis muliebris profluvium (Selenogamia) Debilitas dorsi cum spina rigida, Morbus Judae, Regis Herodis, et coecitas Magi Bar Jesu, quibus adhuc gonorrhoeam in Mosaicis libris occurrentem adnumerandam esse existimo.*

Non est mihi animus omnes has in sacris paginis occurrentes aegritudines specialius exponere, cum memorati antea viri maxima cum diligentia id jam praestiterint. Restringer ad illa solum morborum genera, quae Israeliticae genti erant infensa; quorum in gratiam, ut publica tueatur salus, proprias Moses sanxit Leges, atque huc nonnisi *Lepra*, et *Gonorrhoea* spectant.

### Lepra.

Lepra est atrocissimus Aegypto, Asiae anteriori, et generatim Climati calido proprius Morbus; hinc non mirum inter Hebraeos Aegypto emigrantes plures ea infectos fuisse: Omnes ea laborasse, et ideo Aegypto pulsos fuisse *Manethos* somniavit, quem oscitantes secuti sunt Strabo, Tacitus, Justinus, et recentiores

quidam; abominabilis quidem, et terribilis est Morbus, unde antiquis pro singulari poena Dei habebatur. Ast reges Aegypti, qui testibus omnibus antiquis frequentiam subditorum rite aetimabant, longe aberant, ut ob Morbum endemium ultra duas miliones hominum regione sua explerent.

Ex Aegypto atrox malum veluti ex centro ad complurimas propagabatur provincias tum contiguas, et vicinas, tum dissitas, in Syriam, Persiam ubi testante Herodoto 1000 annos post Mosem observabatur, in Graeciam, ubi ab Hippocrate *φοινικη νοστος* vocabatur, quoniam per Phoenices illic delatus fuit. Romae ignota fuit lepra ante Lucretium cum exercitu Pompeji ex Asia illuc translata fuit testante Plinio seniore. Serius tandem in Arabia magis innotuit ab Arabis Medicis Rhazes, Avicenna, Ebnzoar, et aliis diligenter descripta. Saevior autem semper erat hic morbus in Aegypto, et Syria, utpote regionibus calidioribus, quam in Graecia, aliisque Europae locis; etiam hodie frequens est iis nationibus, in Damasco enim, ut a viatoribus accepit *Mead*, duo sunt nosocomia leprosis sanandis destinata. Ita etiam Edessa fontem habet, in quo lavantur quotidie, ut antiqui-

tus in more fuit, magno numero hac cutis Foeditate affecti.

Successu temporis vero, atque frequenti transplantatione in alias provincias insignes mutationes passa fuit lepra, unde plures ejusdem spectata indole morbi species, et modificationes, quas in antiquorum medicorum scriptis invenire licet, originem traxerunt.

A doctissimo Henslero sequentes statuuntur quatuor leprae species. 4).

1. *Lepra nodosa*. *Elephantia* totius corporis (der knollige Aussatz) *Salyria* Aristotelis, Ελεφας, Ελεφαντιασης, λεων, λεωντιασις, Archigenis, Aretaei, Graecorum, et Romanorum, *Elephantia* (*Dschüddam*, vel *Dschkossam* Arabum, et Arabistarum), quo et partialis illorum *Elephantia*, *Elephantopus* (Knollbein) spectat.

2. *Lepra alba* (der weifse Aussatz) *Zaraab* *Mosis*, *Morbus Phoenicius* Hippocratis, λευκη Graecorum, *Vitiligo alba* Romanorum, *Baraz* Arabum.

3. *Lepra squamosa* (der schuppige Aus-

---

4) Hensler. Vom abendländischen Aussatz. Hamb. 1790.  
Pag. 389.

satz) λεπρα Graecorum et Romanorum, *Baras nigrum* Avicennae.

4. *Lepra rubra* (der rothe Aussatz). *Lepra Alopecia* Arabistarum.

Atrocissima harum est *Lepra nodosa*, seu *Elephantiasis* Graecorum, ab Aretaeo jam, et Avicenna pro communi totius corporis cancro declarata, cujus essentia in faedis, ac lividis tuberibus magnitudinis variae in facie, ad aures, et in extremitatibus exortis, in aspre-dine, et incrassatione cutis, anaesthesia, et pilorum defluvio consistit. Sunt autem illius, ut Medici Arabes memoriae prodiderunt, signa potiora: auriculae adtenuatio, (unde analogia cum Satyris, ac Aristotelis denominatis, quam tamen alii ex salacitate leprosoꝝ peculiari derivant,) faetidissimus faciei sudor, oris inflatio cum magna, et valida rubedine, pectoris, pedumque frigus tantum, ut moveri non valeant, anhelitus strictura, raucedo vocis, et subtiliatio, culis asperitas, alteratio coloris, et obfuscatio albedinis oculorum, illorum rotundatio, aspectus trux, (unde Leontiaseos nomen monente Avicenna originem duxisse videtur) nodi, et vestigia in corpore dura, et lapidosa. Incrassantur digiti, et indurantur genna, fit pustulatio superficiei corporis, pau-



citas capillorum, et tenuitas, et depilatio ipsorum, et augmentatur amissio motus extremitatibus, invadunt aegrum terribilia somnia, et mala ulcera, et cum protenditur tempus, depilantur pili superciliarum, oculorum, et pili nasi, et palpebrarum, et incipit distractio nasi, et ejus profundatio, et factor anhelitus. Signa demonstrativa perfectionis leprae satis patent, et non possunt latere sensus hominum, quoniam alteratur color, et perditur vox, et depilantur pili totaliter, et ulceratur superficies corporis, et fluit ex ea putredo cum vehementi faetore, et incipiunt cadere extremitates, et lacrymantur oculi etc. (7. Gruneri Antiquit. morbor. pag. 182.) Huc sane pertinent Macri (De herb. virtute) verba:

Est Leprae species, elephantiasisque vocatur

Quae cunctis morbis major sic esse videtur,

Ut major cunctis elephas animantibus exstat.

Antiquissima Leprae species, quae apud Mosen invenitur, a priori longe differt, estque *Lepra alba*. *Zaraab* Mosis *Leuce* Graecorum, *Baraz album* Arabum. Illius signa in sacris litteris exposita hujusmodi erant: (Levit. Cap. XIII. et XIV.)

„In cute oriebantur papulae, pili in album colorem mutabantur, affectus facies cute erat

depressior, cum morbus inveteraverat, tumor albus fiebat in cute, cui inerat caro viva, crescebat in dies haec labes, et per corpus serpebat“.

Eruptio morbi non quidem semper eadem plerumque tamen macula est exigua instar puncturae acus, vel impetigo vel serpigo, Celsus tres species macularum prodromarum, quas generali nomine *vitilliginis* quidam Medici complectuntur, distinguit. „*Αλφος* vocatur, ubi color albus est, maculae fere subasperae, et eae continuae, ut quaedam quasi guttae dispersae videantur, interdum etiam latius, et cum quibusdam intermissionibus serpit. *Μελας* colore ab hoc differt, quia niger est, et umbrae similis, caetera eadem sunt. *Λευκη* habet quiddam simile cum *αλφω*, sed magis albida est, et profundius descendit, in eaque pili albi sunt, et lanugini similes. Omnia haec serpunt, sed in aliis celerius, in aliis tardius. *Alphos*, et *Melas* in quibusdam variis temporibus oriuntur, et desinunt. *Leuce*, quem occupavit, non facile dimittit.“ 5).

Distinguendae autem sunt maculae lepro-

---

5) Celsus de Medicina. Lib. V. Cap. XXVIII. Par. 19.

sae ab innoxiiis, quas Moses jam accurate determinat. (*Lev. 13*) Innocuam maculam, quae alphi proxime accedit, nunquam tamen pedisequam agnoscit lepram, nomine *Bobak* insignivit. Leprosarum vero macularum proprietalium duae habentur potiores species, videlicet. 1. alba, rotunda, circumscripta, ac insensilis impetigo, *Saphachath*, et *Babereth* Mosis, λευκη *Hippocratis*, αλφος λευκος Graecorum senioris aevi, *Guada* Arabum, *Morphaea alba* Arabistarum, et 2. lentigo coloris lividi, nigrescentis, aequae ac prior insensilis, *Seeth* Mosis, αλφος φακος Graecorum, *Morphaea nigra* Arabum. Inter has *Babereth* pessima fuit

Maculae hae leprosaе mox subito incrementum, praecipue in irato, aut exterrito, et quidem fere in facie, circa nasum, aut oculos, mox per plures annos dilatantur, donec lentis magnitudinem attingant. Progressu temporis per reliquum disperguntur corpus, non sola cutis prorsus destruitur, sed tota quoque machina corporis ita adficitur, ut artus extremi sensim emoriantur, dissolvantur, et decidant, et corpus horrendum in modum mutiletur. Dolor quidem non est vehemens, sed magna debilitas, et tristitia anxia, imo et impetus ad autochiriam. Constantioribus pheno-

menis adnumeratur torpor, et anaesthesia, in locis impetigine obsessis tanta, ut subinde ne puncturae quidem acus persentirentur, leucophlegmatia, ac pallidus totius superficiei color; pendet autem albus color superficiei quam maxime a crustis instar nivis conglaciatae albissimis, et fere eam formam repraesentantibus, quasi multa, et crassitie notabili incumbente farina conspersa esset; aspectus aegri horrendus est, caput totum tumidissimum, rubens hinc inde, squammis ubique ne parte quidem capillata excepta tectum; facies albissima similibus squammis obsessa, cutis in reliquo corpore tumida, tensa, arida, copiosissimis squammis obsita, quae furfurum forma separantur, et decidunt, interdum etiam majora cuticulae frusta, praecipue e manibus chirothecae adinstar solvuntur, unde haec lepra etiam Tyria nonnullis vocabatur a Tyro serpente, qui facile dimittit spolium.

Tensa admodum cutis non raro finditur, glutinosum, acremque fundit liquorem, atque exulceratur, ut viva compareat caro, quo in casu etiam multo periculosius habebatur malum, dicit enim Moses: Si in leprae affectu animadvertitur tumor albus in cute, factaque sit pilorum in illa in album mutatio, et insit in cute caro viva, lepram esse in corporis cute inveteratam. Sin autem lepra effloruerit in cute, et totam morbidi cutem a capite ad pedes occupaverit, tum morbidus purus iudicandus erit. (Levit. Cap. XIII. v. 10. etc.) Mani-

festum igitur est duas hic designari morbi hujusce species, unam, in qua cutis erosa exulcerabatur, ita ut caro viva subtus appareret; alteram, quae in summa cute tantum efflorescebat, quae et ipsa quasi squammis quibusdam exasperabatur; ab isto discrimine, ait *Mead* evenit, ut ille morbus contagiosus esset, hic non item. Squammae enim furfuris adinstar aridae, et leves in cutem non penetrant, at materia purulenta ex ulceribus fluens corpus sanum corrumpit. Inde evenit quoque priorem Morbum, in quo cutis erosa exulcerabatur, ita ut caro viva subtus appareat, insanabilem exstitisse, hunc vero non solum sanitatem admisisse, sed plane criticum fuisse, si notabilis pruritus, et ardor accessit, (3. Moses 23.) Oculi, prouti in omni lepra, ita etiam in hac peculiarem, ac faedum manifestant habitum, lacrymantur enim, lippiunt, et fatui evadunt, intumescunt supercilia, inversantur palpebrae. 6). Pili in album mutantur, lanugini similes fiunt, finduntur, ac defluunt Distinguatur autem alopecia leprosa a calvitie simplici, de qua adhuc serius mentio fiet. Ad finem morbi cadaveris fere adinstar totum resolvitur corpus,

Haec est imago morbi, quo *Job Usias*, et *Aharonis* soror *Mirjam* adfecta fuerunt.

Decursus atrocis hujus mali lentus esse solet. In infantibus plerumque ad pubertatem

---

6) Hensler, Vom abendlandisch, Aussatz, S. 356.

usque, in adultis per 3. vel 4 annos latet, donec in cute se insinuet. Abhinc progressus rursus lentus est, et post plures demum annos medium, atque post plures rursus annos extremum gradum assequitur. Qui a nativitate leprosus est, 50. et qui deinceps infectus fuit adhuc 20 annos tristissimos vivere potest.

Lepra non solum contagiosa est aliis, qui concubitu, vel multa conversatione, et contractatione cum aegroto agunt, sed etiam haereditariam non raro sistit labem, transitque in posteros ad tertiamusque, imo et quartam generationem. In generatione quarta, si non lepra ipsa saltem dentes immundi, halitus graviter olens, et color morbidus adest. Nihilominus tamen leprosi a procreandis liberis quos miserrimos futuros praevident, vix abstinent, vehementissimis enim jactantur stimulis carnis.

Ex his liquet Mosen gravissimis rationibus inductum fuisse leges de inspectione, et separatione leprosorum ferendi, in quibus prouti legislatorem decebat, id solum spectabat, ut vere leprosi dignoscerentur, et e societate humana removerentur. Quare non omnia indicia leprae aliunde indubia, sed ea sola, quae in contentionem venire poterant, attingit, et indicia leprae certa suppeditat Sacerdotibus e stirpe Leviticorum, quorum curae aegrorum salus commissa fuit, ut leprosas maculas ab innocuis discernere possent,

in quibus Moses profundam hujus Morbi scientiam prodit testante Henslero.

Leges autem, quas Moses sanxit, ut horrendae hujus cladis propagatio arceatur, populi que tueatur salus, in sequentibus continentur; Matrimonium inter leprosos prohibitum non fuit, etiamsi experientia docuerit lepram in quartam usque generationem propagari; posset quis hancce Mosi indulgentiam primo intuitu in vitium illi vertere; re autem exactius perpensa facile innotascet maxima Legislatoris sapientia: omnes enim leprosi testante Paulo Aegineta summe lascivi sunt. Si vero stimulus ille effraenis supprimeretur occasio daretur fraudi, et violento stupro, quo mundaе caeterum feminae inficerentur, atque malum adhuc vastius propagaretur. Princeps lex fuit, ut quivis suspectus exacte inquiratur, et examinetur. Omnes, in quorum cute suspecta macula comparuit, quibus capilli defluerunt, qui in parte quadam fortuito ambusta maculam, aut crustam diutius retinuerunt, huic inquisitioni sine distinctione se accingere debuerunt. Cautela cum ambustis eo magis necessaria erat, quod illi, qui celare voluerunt leprae infectionem, fere omnes ambustionem innocuam simulaverunt. Susceperunt autem hasce inquisitiones solummodo Sacerdotes Levitici, tamquam personae publicae forenses, queis inter Hebraeos commissa fuit salus publica, restante sub primo examine dubio quodam de suspecta inventae ma-

culae indole, adflictum illa individuum per septem quam exactissime in separato loco observabatur dies. Persistente per hoccētempus macula, aut plane volumine aucta pro impuro deēclarabatur. Ubi vero intra septem dierum cyclum ex integro disparuit, dimissus quidem fuit qua purus, sed mox iterum priori examini subjectus, si evanita recruduit macula.

Excepti ab iterato hocce examine erant illi, qui cutaneis malis non leprosis detinebantur. Horum duo genera statuit Moses. Primum vocat *Bobak*, maculam videlicet profundius coloratam, prominentem, sensilem, in cuius vicinia pili non excidunt; et cutis intacta manet. Homines hoc cutis vitio adfectos puros dicit, quoniam neque contagiosum; neque haereditarium malum est. (3. Mos. XIII. 38. 39.) Sub altero vero intelligit *calvitiam simplicem*, *Kareach*, et *Gibbeach*, qua affectos pro puris aequē declarat, summe necessariam hanc distinctionem fuisse ex eo patet, quod lepra frequenter defluvio capillorum conjuncta fuisset. Suspecta alopecia Mosi dicitur *Netbek*.

Pro impuris declarati aegri illico separabantur a populo, atque jam secundo anno post emigrationem Israelitarum omnes leprosi extra castra retinebantur. Haec lex adeo severa fuit, ut et ipsa Mosis soror, dum lepram contraxit, ex castris pulsa fuisset. Serius in emolumentum leprosorū propria illis destinata fuit domus (Beth Chofschith) extra urbem sita. Quoniam vero inhumanum fuisset illis per



totam vitam omne aliis eum hominibus commercium interdicendi, exire quidem potuerant, lege autem adstringebantur laceratis vestimentis, capite denudato incedere, atque obviam euntibus tecto ore acclamare *impurus sum*, (3. Mos. XIII. 45. 46.)

Etiam omnes illi pro civiliter, aut levitice impuris declarabantur, qui leprosos tetigerunt. Ubi vero dissipatis omnibus in superficie cutis maculis pro puris declarabantur, sive leprosi prius fuerint, sive solummodo suspecti, vestes, totumque corpus lavare, ac omnes partes capillatas, capillitium mentum, supercilia etc. abradere debuerunt. Illi, qui universali lepra affecti pristinam recuperarunt sanitatem, etiam ad certa sacrificia adstringebantur, antequam inter puros compareant. Ex his luculenter patet lepram a Mose nequaquam pro insanabili habitam fuisse malo, uti quidam Medici defendere voluerunt Methodum medendi miseris hisce aegris Moses non proponit, nequē id legislatorem spectat; commendat vero infectos curae Leviticorum, qui medicam tunc temporis coluerunt artem. Praecipua auxilia, quibus illi Lepram oppugnarunt, erant separatio aegrorum, mundities corporis summa, et piacula.

Quanta fuerit solertia Mosis in victus selectu, (cujus pravae qualitates maximum in morbis cutaneis progignendis habent imperium) superius jam proposui. Praeprimis hunc in finem prohibita fuisse videntur pinguia,

quorum insignis efficacia in Morbo Leprae analogo quibusdam Italiae provinciis proprio producendo, quem *Pellagram* vocant Medici, et hodiernis sufficienter innotuit temporibus.

Praeter *lepram hominum* notatur adhuc in sacris paginis *lepra vestium*, et *aedium*, circa quos etiam proprias Moses descrivit leges.

Errant, qui rem ita accipiunt, ac si vestes, aedesque Lepra Morbo adfectae fuissent. Intelligitur sub hac utensilium, aediumque labe earum viru leproso pollutio, qua contagii facultatem contraxerunt; certissimis experimentis compertum habemus, non tantum in peste, et aliis nonnullis febribus, in quibus per cutem pustulae malignae protruduntur, ut in variolis, et morbillis, sed in ipsa vulgari scabie morbidam vim in rebus quibus libet pelliceis, laneis, linteis, et sericeis, exceptam diu haerere, et hinc in sana corpora transire. Potuit igitur facile per talia leprosum virus in illos, qui haec gestabant, aut contractabant, seminis adinstar spargi, et cutem labe sibi propria corrumpere. Summa enim corporis pars quantumvis mollis, et levis videatur, foraminibus tamen pervia, et sulcis aspera nidum praebet particulis ex tabo spirantibus, minutissimis quidem illis, sed maxime actuosis. Quod autem sive sudor leprosum, sive (quod probabilius videtur) materies ex ulceribus, et impetiginibus scaturiens peculiarem habuerit acridinem, ex coloris vestium pollutarum mutatione insigni facile colligitur,

meculas enim obtulerunt pallidas, aut rubellas. (3. Mos. XIII. 47 — 59.) lotioni non raro resistentes ac lanae defluvium inducentes. Decevit autem Moses, ut pollutae ejusmodi vestes per 7 a Sacerdote observentur dies; si per hocce tempus iterum disparuerunt maculae, sive id sponte contigerit, sive diligenti lotione, vestis pro pura, et innocua declarabatur. Ubi vero polluta vestium loca lotione non exstinguebantur, sed pertinaciter resistebant, aut plane ulterius serpebant, resecari debuerunt, aut tota vestis comburi.

At difficilior multo est de domibus pollutis quaestio, vix enim natura fieri posse videtur, ut in parietibus siccis. et ex dura materia coagmentatis nasci, et se diffundere potuissent maculae leprosa; alia igitur debuit esse genesis hujus singularis phoenomeni, quo scrobes virides, aut ruffae intra aedium superficiem comparuerunt, (3. Mos. XIV. 37.) ob aliquam cum leprosa in corpore humano scabie analogiam *lepra in domo* vocatae. Magna cum verosimilitudine hocce phoenomenon explicuerunt *Mead*, et *Michaelis*. Saepe saepius muros aedium ex materia admodum varia, calce, lapidibus, terra bituminosa, pilis animalium, et similibus constructos mucoris quadam specie obduci videmus, qui exactius examinatus naturam salinam manifest. Juxta recentiorum Chemicorum experimenta indubia nitratem calcis continet, cujus quidem genesis non adeo difficulter concipitur. Comparet

praeprimis in locis humidis, depressis, inclusis, in cellariis quam maxime, latrinis, cloacis etc. in quibus manifesta gaz acidi nitrosi evolutio contingit. Hoc favente praecipue humiditate cementum, calcareamque murorum superficiem dissolvit, ac in salem neutrum cœit pelliculae forma muros interdum obducentem. Quo profundius haec labes murorum serpebat, eo facilius solvebatur cementum, ita quidem, ac si scrobes a muribus exesae fuissent, unde etiam Germanorum nomen Salpeterfrass originem duxit. Quod autem hoc vitium Hebraeis frequens esse debuerit, ex depressis, atque male constructis eorum aedibus, quae contignationibus caruerunt, ex frequentioribus Nili inundationibus, atque neglecto domiciliorum cultu facile intelligitur. Damna inde fluentia sunt: 1. Fragilitas murorum; plagis enim illis continuo magis dilatatis, ac cemento exeso muri interdum trium, et quatuor pedum in diametro corruunt. 2. Utensilium, quae parietibus adjacent, destructio, et 3. sanitatis detrimentum, etenim licet contagiosus non esset ille humor, faetido tamen, et insalubri halitu incolis noxam, et perniciem adferre facile potuit. Sequentia circa aedium lepram sanxit summus antiqui faederis Legislator: Quamprimum suspectae quaedam maculae, aut scrobes ad parietes aedium compaeruerunt, illas illico annunciare tenebatur paterfamilias, ut a peritis Sacerdotibus inquirerentur, quibus data fuit invisendi potestas;

per octo tunc dies observabatur domus, et si elapso hoc tempore perstiterant scrobes, aut plane increverant, domus pro leprosa, et impura declarabatur, superficies modo aedium vitiata abradi, lapides affecti evelli, ac ad impurum locum deferri debuerant extra urbem, aut oppidum plerumque situm. Ubi vero evulsis etiam quibusdam lapidibus ac abra-  
sa calce lepra domus denuo recrudit, totam domum diruere, atque extra oppidum ad impurum locum deportare lege jubebatur, quod cum exiguis Hebraeorum tuguriis fieri facile potuit. Domus, quae facta altera inquisitione nullam amplius obtulit labem, festivo modo sub certi piaculi oblatione pro pura declarabatur. Propositos limites transcenderem, si omnes ceremonias, ac sacrificiorum modum specialius exponerem.

Extra omne dubium est, inquit *Mead* praecepta Legum Mosaicarum eum in finem constituta fuisse, ut populū ab idololatria, et vanis religionibus averterent, simulque ab omnibus immunditiis purum praestarent: si vero illa exactius contemplantur, facile et alium invenimus scopum, prophylaxim scilicet morborum summe vulgariū, ac conservatiōnem salutis publicae. Admiramur ubique maximam hujus Legislatoris sapientiam, atque insignem in ipsa re medica scientiam. Si quondam et in nostris terris prophylaxi contra leprosam indigeremus luem, Mosaicæ leges certe omni intuitu commendari merentur. Ne-

que Romae saeculo primo, neque in Hispania saeculo decimo quinto adventitii ex aliis mundi plagis morbi tantas edere potuissent strages, si Mosaica praecepta rite observata fuissent. Merito itaque Mosen pro canae antiquitatis medicorum Coryphaeo declaramus.

### Fluxus impurus.

In coronidem opellae aliqua de altero Morbo in Mosaicis libris occurrente subjungam, de impuro videlicet fluxu ex genitalibus, quo detenti sine distinctione pro impuris declarabantur, ac a sanis sedulo separabantur, ut coequeatur mali propagatio. Non solum illi, qui gonorrhoea adfecti reapse erant, sed etiam omnes, qui tali ratione infectos contrectarunt, pro impuris declarabantur, si contrectantes prius non lavabant partes. (3. Mos. XV. 1—13.) Ita omnia infectorum utensilia, lecti, stragula, scamna, sellae vestes pro impuris declarabantur, atque nonnisi sedula repurgatione, et lotione purae reddebantur.

Si hodie hae leges adeo severae forent, certe et syphilliticum malum, cujus tantam videmus frequentiam, multum limitaretur.

---

## T h e s e s.

1.

Lepra Mosaica a Lepra Arabum toto dif-  
fert caelo.

2.

Lepra est Morbus contagiosus.

3.

Inter omnia cutis vitia Leprae summe ana-  
logum est Pellagra.

4.

Saburra primarum viarum uberrimus est  
Morborum cutaneorum fons.

5.

Saburra mox causam, mox effectum sistit  
Morbi.

6.

Neglecta sordium in febribus intermitten-  
tibus evacuatio ad pessimas ducit anomalias.

7.

Purgantium actio specifica dici meretur.

8.

Febres biliosae sporadicae rarissime in  
praxi occurrunt.

9.

Inflammationes aestivae semper aliquam  
therapiae modificationem exigunt.

10.

Ardens Syrius sanitati hominum magis in-  
fensus, quam acerrima bruma.

11.

Icterus qua talis periculo caret.

12.

Non omnes Febrés Crises agnoscunt.

13.

Neque acutus decursus essentialem prae-  
bet earundem characterem.

14.

Variatio stimulorum maximi est in praxi  
momenti.

15.

Ante Crisim nunquam certum habetur  
praesagium sanitatis futurae.

16.

Evolutiones physiologicae magnam osten-  
dunt in tollendis malis inveteratis efficaciam.

17.

Nevroses infantum, quae ultra puberta-  
tem excurrunt, contra optima saepe Medica-  
mina rebelles Sanitatem raro admittunt.

---





